DE

PRIMITIVO IDEARUM

PLATONICARUM

SENSU.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AMPLISSIMI

PHILOSOPHORUM MARBURGENSIUM

ORDINIS

AUCTORITATE ET CONSENSU

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

LUDOLPHUS WIENBARG

ALTONENSIS.

MARBURGI CATTORUM.

MDCCCXXIX.

A.D
BIBL. UNIV.
MONAC.

Professori Kilonicnsi

DE BERGERO

—

discipulus.

Hoc tamen opus in acceptum ut referas, nihil postulo. Non est enim, ut in arce posui, quasi illa Minerva Phidiae; sed tamen, ut ex eadem officina exisse appareat.

Cicero.

Nescio an ullus, qui adhuc spiritum ducit, vir doctus — uno excepto — a vulgari de ideis Platonicis opinione „eas esse, sensu primitivo, notiones divinae menti insitas“ scriptis publice editis recesserit.

Diversam sententiam de hoc Platonici systematis fundamento fulit vir, qui doctrina, atque mentis acumine nemini, nec ipsi Schleiermachero, cedit, Herbartius. Repetam, quae de idearum Platonicarum natura sentit:

Ideae non sunt notiones, sunt potius entia realia, qualitates absolutae. Eleaticis enim, simplex et uniforme Esse statuentibus, alteram et unicam, quae, sensuum judicio spreto, adhuc restabat, rationalismi formam Platon opposuit, docens: qualitates esse. Tales ideae accipiendae sunt, si de simplici et nativa earum natura sermo est. At systema Platonicum immutationem passum est. Platon pio quodam sensu idearum uni, media quasi in idearum republica, imperium principatumque concessit; in hac una summam dignitatem collocavit, ceteras omnes,

quamvis libere quasi natas, in familiae, sive clientelae statum detrusit. Hunc idearum dominum, ac principem τὸ ἀγαθὸν nominavit, deum, si vis, at ne nostrum, ne personam, ne ideis — notionibus cogitantem animo tibi inducas. Idearum enim natura etiam in hac systematis immutatione, realis manet. (V. Einleitung in die Philosophie, cf. ej. de Platonici systematis fundamento commentatio. Götting. 1805.)

Sagacissimi viri opinioni de idearum realitate, et ascitate me prorsus assentiri, in proœmio mihi liceat confiteri. Quod attinet ad rationem, qua τὸ ἀγαθὸν, boni sive unitatis principium, ad ideas relatum esse vult, internum Platonicae doctrinae connexum, qualem equidem ex libris Platonicis atque Aristotelicis percepi, testimoniis historicis non satis convenienter reddidisse mihi videtur.

Tentare volui, dixerim cum Cicerone, possentne proferri in lucem, et ita dici, ut probarentur, an alia quaedam esset erudita, alia popularis ratio, eoquo scripsi libentius, quod mihi ista, παράδοξα quae appellant, maxime videantur esse Socratica (Platonica) longeque verissima.

Ex nihilo nihil creari omnes Veteres consentiebant. Physici, qui vocantur, γένεσιν duplici modo definiebant; primum per ἀλλοίωσιν, quod fecerunt Jonici priores a Thalete usque ad Heraclitum, aut per σύγκρισιν, et διάκρισιν, id

quod Empedocli, Anaxagorae, Leucippo, et Democrito placuit. Hi omnes aut unum principium aut plura posuere, ita, ut Jonici ἓν εἶναι dicerent, Empedocles, et Anaxagoras ἓν καὶ πολλά, Leucippus, et Democritus πολλὰ εἶναι.

His igitur principiis usi sunt physiologi veteres, arte dialectica plane destituti.

Ἀλλὰ γὰρ ὄντοι μὲν τοῖς περὶ γενέσιν λόγοις καὶ φθορὰν καὶ κίνησιν ὁμοίοι τυγχάνουσι μόνον. Οἱ μὲν οὖν καλούμενοι Πυθαγόρειοι ταῖς μὲν ἀρχαῖς καὶ τοῖς στοιχείοις ἐπιτηδειότερον χρῶνται τῶν φυσιολόγων. (Arist. Metaphys. 26. ed. Brandis.)

Numeros enim in principiis posuere Pythagorici, quorum alii res rebus, nexcio quomodo, subesse, alii iis, tamquam exemplaria, praesse voluerunt. Ab hac altera de numeris disputandi ratione profecta esse videtur, quasi ex suis carceribus, disciplina Pythagorica. Pythagoras enim, hujus philosophiae princeps, rerum quendam cum numeris connexum, ac similitudinem observasse, atque numeros cum rebus comparasse dicitur. (*Απεικάζων*: Stob. eclog. phys. l. 2. p. 16. ed. Heeren.)

Analogia haec in momento dialectico sita est. Vides enim, quaestionem, in antiquitate graeca celeberrimam, de uno et multis comparationis tertium illi fuisse. Numeri, sicut res, fiunt ex multitudine, unitatis accessu; in numeris, sicut in rebus τὸ ἓν ὕλη videbatur esse, multa autem materies, per se nullo vinculo

cohibita. Simplex haec argumentatio Pythagoricos, mathematicis unice operam navantes, rerumque naturalium solidam cognitionem minimi facientes, eo adduxisse videtur, ut rerum principia in numeris se invenisse arbitrarentur. Sed qua ratione numeri principia dici deberent, non consentiebant. Erant, qui cum Pythagora in similitudine illa acquiescerent, atque extra rerum naturam, sensibus expositam, numeros collocarent. Ili duplex tale essendi genus, poetica magis quam philosophica ratione, prototypi atque ectypi significationibus exhibebant (*ὁμοιώματα, ἀφομοιωθῆναι.* Huc referendus est Hippasus, cf. Simplic. in phys. Arist. 104. 6. fol.) Erant deinde, quibus metaphorica talis oratio non satisfaceret; numeros rebus vere subesse contendebant. Ili viri jam ultra fines, disputationi huic natura constitutos, progressi sunt. Non sensisse videntur, tali ratione insipidam fieri doctrinam, quae magis lusui ingenioso, quam philosophandi severitati inservit. (Cf. Brandis über die pythagor. Zahlen in rheinischen Jahrbüchern 1828.)

Pythagorici rerum naturalium investigationem negligebant; ex principiis, quibus addicti erant, nihil sane prudenter de his disputare poterant. At ne de ipso quidem dialectices fundamento, quaestionem dico de uno et multis, satis accurate ac subtiliter videntur mihi disputasse. Reliquerunt hoc Eleaticis atque Platoni.

Eleatici unitatis principium, omnem multitudinem excludentis, in philosophiam induxere:

omne Ens et simplex esse, et immutabile, nec sibi, nec alteri oppositum esse docuere. Terrestrium et coelestium rerum ordinem atque vicissitudines — totam rerum naturam — e medio sustulere, quasi inconstantiae ac fraudis imaginem. Omnem igitur γένεσιν non modo suspectum quid, sed sensuum fraude fictum esse, contendere. (Cf. Brandis commentatt. eleatt. et ad dialectices argumenta accuratius perspicienda Herbart. Einleit. in die Ph.)

Breve ut de his disciplinis judicium feram: Physici primum laeto, ac juvenili fervore rerum naturae investigationi se dedere, nullam adhuc dialecticam artem adhibentes. Toti extra dialectices regionem locum tenuisse dici possunt illi, qui unum tantum principium statuere, quemadmodum Jonici priores. Rerum qualitates formasque cum unius essentiae, agendi vi instructae, affectiones tantum esse crederent, certum principium haud desiderabant, ad quod τὰ πολλὰ referre liceret. Contra qui cum Democrito multitudinis principium unicum posuere, non sensere, infinitum talem monadum numerum non satisfacere rationi, quae, cum fortuito aggregatam multitudinem respuat, in hoc systemate unitatum unitatem desiderat.

Anaxagoras primus e physiologorum numero in dialectices fundo systema suum exstruxit; at, ceterum quidem sagacissimus, spinas difficultatesque, quae hic enascuntur, parum sensisse mihi videtur. Tamen in ejus fragmentis, praesertim a Symplicio nobis servatis, vestigia non

desunt, tentasse illum indicantia, το ἓν et τὸ πολλὰ quodammodo inter se nectere. Licet sibi in his contradixisse apparent.

A Pythagoricis incipit altera graecae philosophiae species, dialectices contra physicos certamen. Negligebant, ut dixi, rerum naturalium investigationem, sed magis, ut mihi quidem videtur, quasi ut Optimates, plebem, dicto non obedientem, contemnentes, quam ex rationibus talibus, quas ut sagittas, ex dialectices pharetro petere debuissent.

Hoc fecerunt Eleatici et praesertim Parmenides. Unum in multis esse, multa unitatem participare posse, prorsus negabant. Concedi his viris et poterat et debebat, verum Esse unum esse ac immutabile; at essendi notione omnem formarum multitudinem ac varietatem excludi debere, id Graecis, plastico ingenio florentibus, persuadere non poterant.

Πολυειδίαν tuitus est Platon. Confugit ad mundum intelligibilem, vicissitudinibus non expositum, verum, pulchrum, aeternum, ad quem, procul ab omnium rerum nascentium, atque intereuntium lapsu, formas divinas revocavit.

Τὸ ὄν idem esse, ac το ἓν, Platonicum axioma est notissimum. (Met. Arist. 55 Br.) Erat igitur illi demonstrandum, qua ratione ab una parte τὸ ἓν τὸ ὄν dici oporteret, et tamen ab altera parte ad multa referre τὸ ἓν liceret, sive, ut idem aliis verbis exprimam, essendi multiformitatem non repugnare essendi unitati.

Quodsi τὸ ὄν idem ac τὸ ἕν, multa sive ideae multiformitatis respectu, quatenus vere esse dicuntur, unum et idem erunt. Quibus contra efficitur, ut multa sit, his, per se spectatis, τὸ Esse non tribui poterit. Quaerendum igitur erit, qua ratione multiformitatis principium ad unitatis principium sit referendum. Hanc rationem per μέθεξιν (participationem) significavit Platon.

Platonem illud diversitatis principium (τὴν ἑτέραν φύσιν) in scholis τὴν δυάδα, sive τὸ μέγα καὶ μικρὸν vocasse tradit Aristoteles. Quodsi enim rerum varietas ad certum quoddam principium referenda erat, hoc tale esse debebat, ut omnium contrariorum maxime generalem notionem exprimeret. (Quid interfuerit inter Platonis scripta ejusque sermonem praesentem, ex iis, quae in Phaedro de scribendi fine disputat, optime elucet. Nolim arbitreris me credere, Platonem in scholis, more doctorum nostrorum de cathederis, continua semper oratione, et uno quasi spiritu systematis fila devolvisse, voci ejus terminorum quorundam stereotypa incisa fuisse, imaginationem factasque poescos vires domi illum reliquisse, scilicet, ut philosophus evaderet in Academia: Platon απλῶστως, ut ita dicam, nec scribere nec loqui poterat. At discipulis praesentibus, atque cum illo disputantibus necesse omnino erat, ut de summis principiis, quibus addictus erat, quaeque ex dialogis, quos conscripsit, non nisi divinatione quadam [illegible] possunt, ita disse-

ret, ut tam verbis aptissimis sua consignaret, tum ad singula quaeque eorumque vim, atque connexum exhibendum propius, quam in scriptis accederet. Ceterum Platonem ex Platone intelligi posse, contendenti alicui, posse concedam, intellectum esse tum demum, cum Aristotelicum Platonem non modo non pugnantem cum illo dialogorum Platone, sed illum firmantem, atque illustrantem edoctum viderim.)

Unumquodque ex contrariis constare, opinio erat Graecis veteribus maxime solemnis. E physiologorum placitis originem duxit, postea in magis idealem provinciam traducta est. (Arist. Phys. I. 6.) Anaxagoras in unaquaque qualitate materiali duplicem infinitatem inesse docuit: ἕκαστον ἐστι καὶ μέγα καὶ μικρόν. (Simpl. in Arist. Phys. 35, a. f.) At harum qualitatum nullam in chaotico universi statu ἔνδηλον fuisse dixit, omnibus ita inter se mixtis, ut nulla in se existeret. (ib.) Βούλεται μέντοι τι παραπλήσιον τοῖς τε ὕστερον λέγουσι, jam Aristoteles animadvertit; et εἰ δέ τις μίξιν τῶν ἁπάντων ὑπολάβοι μίαν εἶναι φύσιν, ἀόριστον καὶ κατ'εἶδος καὶ κατὰ μέγεθος, συμβαίνει δύο τὰς ἀρχὰς αὐτὸν λέγειν, τήν τοῦ ἀπείρου φύσιν καὶ τὸν νοῦν Simplicius notat (6. b. f.) Profecto enim si magis perspicua ipsi fuisset oratio, vidisset, opinor, se non aliter omnino de certis quibusdam qualitatibus, qualis nervi, ossa et hujusmodi quae sunt, loqui posse, quam mentis sive unitatis auxilio. (Νοῦς γὰρ μόνος αὐτὸς ἐφ' ἑαυ-

τῶν ἐστιν Simpl. 33, b. f.) E contrariis (τῶν τε ὑγρῶν καὶ τῶν ξηρῶν καὶ τῶν θερμῶν καὶ τῶν ψυχρῶν καὶ τῶν λαμπρῶν καὶ τῶν ζυφερῶν Simpl. 33, b. f.) unitate accedente, singulas materiales unitates, (homoeomerias vulgo) ex his res gigni componique docendum illi fuisset. (Verisimile mihi videtur, tale quid ejus menti obversari, cum dicit qualitatum nullam ἔνδηλον fuisse. (Cf. Arist. Met. 25.) Nonne eadem ratione intelligendus erit fragmentorum locus notissimus: νοῦς πρῶτον ἀπὸ τοῦ σμικροῦ ἤρξατο περιχωρῆσαι (εἰν Cod. Paris. Cf. Anaxagorae fragm. coll. a Schaubachio frg. 8.)

Platonem physicam hanc rationem suscepisse, atque, quo idearum naturam exponeret, ad disputationem de uno et multis retulisse, testes sunt ejus dialogi. Statuit idearum duo principia, quae si seorsum per se ponit τὸ πέρας καὶ τὸ ἄπειρον, si relata inter se posita cogitat τὸ ἕν καὶ τὰ πολλὰ nominat. In multis numerus, in numeris unitas; contraria numerum fugiunt, per se infinita sunt, limite carent, definiri non possunt, atque in utramque partem infinite parvi et infinite magni excedunt. (Id, quod per ὑπεροχὴν καὶ ἔλλειψιν indicatur.) Multa partim unitatem spectant, partim diversitatem. Rationem, cur multa multa sint, nequaquam in unitatis principio positam esse vides; contra, multa non multa essent i. e. ex singulis unitatibus constarent, nisi unitas ad diversitatis elementum accessisset. Quodsi igitur

unitate multa privantur, desinunt multa esse, unitatis vinculum excedunt, in *ἀπείρα* ruunt. (*Εἰς τὸν ἀπείρου γένος ὡς ἐις ἓν δεῖ πάντα τοιαῦτα τιθέναι* Phileb. 24, 25.)

Vides ex his paucis, quibus Platonicae philosophiae fundamentum inducere volui, Platoni, qui ab una parte cum Eleaticis essentiam unam ac simplicem docuit, ab altera *τὴν πολυειδίαν*, rerum diversa genera defendere voluit, duo principia necessario statuenda fuisse, unius et contrarii, quae aut concisionis causa, aut numerorum cum ideis cognationis respectu, in sermone praesenti *τὸ ἓν καὶ τὴν δυάδα* nominare solebat. Quaestionem de uno et multis, qua, quomodo inter se referenda sint haec principia, admirabili ac fere singulari arte, exponit, totius systematis cardinem esse, nemo non videt. (Ipse Platon, quoties de his verba facit, eadem religione, eodemque excelso spiritu loquitur, quo Joannes, Christi discipulus, scripsit: *ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος, καὶ ὁ λόγος ἦν πρὸς τὸν θεὸν καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος.* Est illi *θεῶν εἰς ἀνθρώπους δόσις.* (Phileb. 16. C.) *τῶν λόγων αὐτῶν αθάνατόν τι καὶ ἀγήρων πάθος ἐν ἡμῖν ει ὁ δὲ πρῶτον αὐτοῦ γευσάμενος ἑκάστοτε τῶν νέων, ἡσθεὶς ὡς τινα σοφίας εὑρηκὼς θησαυρόν, ὑφ' ἡδονῆς ἐνθουσᾷ.* (Phil. 15. E.)

Scripsit Aristoteles Met. 20. Br.:

ἐπεὶ δ' αἴτια τὰ εἴδη τοῖς ἄλλοις, ταὐτὶ-
νων στοιχεῖα ἁπάντων ὠήθη τῶν ὄν-
των εἶναι στοιχεῖα· ὡς μὲν οὖν ὕλην

τὸ μέγα καὶ τὸ μικρὸν εἶναι ὁρῶμεν, ὡς δ' οὐσίαν τὸ ἕν.

En duplicem, quem Platon statuit, essendi ordinem. Ad utrumque pertinet illa de uno et multis quaestio, (Phileb. 15.) infiniti, ac finiti genus utrique proprium est. At quam maxime inter se discordes esse hos ambos essendi ordines, sive mundos, divinus magister docuit. Hanc discordiam cognoscere, atque recte perpendere, unice necessarium mihi videtur esse.

Primam, et maxime universalem rationem, qua ad alterum alter mundus a Platone relatus sit, oppositionis esse sentio. Ideae non sunt res, res non sunt ideae. Quaesivit Platon, omnium consensu, verum et nullis vicissitudinibus obnoxium Esse; invenit unitates quasdam, semper sibi constantes, nec ortum, nec interitum recipientes, easque per se seorsum existentes, licet de hac ipsa essendi ratione — verborum ipsorum Platonicorum testimonio, satis claro, aut neglecto, aut spreto — adhuc inter doctos disceptetur. Singula tantum et quae individuorum sunt, nasci ac immutari vidit, manere genera. Talia aeterna rerum genera, ideas quae vocavit, esse, per se esse, atque semper eadem esse dixit. Quam maxime igitur opposita esse intelligis ea, quae vere esse dicuntur, iis, quibus, cum modo hoc modo illud sint, omni jure τὸ Esse omnino abjudicandum erat. Constat autem, Platonem inter verum Esse et non Esse, Eleaticorum principiis maxime inconvenienter, postea certe, medium quoddam re-

liquisse, quod non vere quidem, esse tamen aliquomodo dixerit. His igitur rebus, quae vere esse negantur, continget, si non prorsus, tamquam sensuum fraude effictae, abjiciantur, essendi quaedam umbra, et imago. (Dixerim Germanice: es ſcheint, als wenn der Geiſt gezwungen wäre, das Sein des Nichtſeienden immer wieder auf gewiſſe Weiſe anzuerkennen — wie Platon — in Bezug auf das Sein, von dem ausgeſagt wird, daß es nicht iſt, wie es iſt.) Sic in rebus inest veri quaedam species; ideis similes sunt, atque ob id ipsum, quod idearum quandam simulitudinem prae se ferunt, licet haec miserrime depravata sit, idearum verique desiderium excitant. Hanc rationem respiciens, qua ideas rebus et similes et dissimiles finxit, παραδείγματα ideas nominavit Plato. (Caveas ne, hoc vocabulum audiens, simul deum Timaei animo tibi inducas, qui ideis tamquam exemplaribus uti fingitur in mundo condendo. Ideas si Germanice Urbilder vocas, minus apte res Nachbilder vocabis. Nominandae potius sunt Zerrbilder.) Hoc vocabulo nihil de interiore quodam idearum cum rebus commercio indicatur, cjus si originalem vim consideras. Mere poeticam esse hanc vocem, jam Aristoteles improbrat. (Met. 30. Br.) Hoc tantum edocemur, ideas esse ad veri, atque perfecti, res ad non veri, atque non perfecti genus referendas.

At verum et perfectum primum erit, id, quod ei opponitur, secundum. In prompto igitur erat, transire ad nexum quendam causalem,

sia unde, et quomodo res talem idearum similitudinem recepissent, quaerebatur. Hic nexus causalis et a parte idearum, et a parte rerum indicari poterat: ideas, rerum respectu, αἴτια nominavit, rebus, idearum respectu μίξεις tribuit Platon.

Rerum αἴτια ideae duplici ratione vocantur, primum, quod rebus τὸ Esse, quod unitatis principium spectat, impertiunt, dein, quod ut tales sint, quales quidem, pro rerum omnium fluxu, esse haud perseverant, efficiunt; id, quod idearum naturam, qua diversa esse dicitur, respicit.

Aliud tamen est verborum vis Platonica, aliud philosophica, et realis. Aristoteles quidem saepissime nescire se dicit, quonam jure tales essentias, quales sub idearum nomine statuit Platon, haberi possint rerum αἴτια, quid velit nomen παραδειγμάτων, quid sonet μίξις? (Met. 29, 30. Br.) Non meum est in hac dissertatione revisere argumenta, quibus Aristoteles idearum Platonicarum doctrinam refellere studuit. Quicunque philosophicam idearum systematis vim cognoscere volet, horum argumentorum pondus, quam diligentissime examinabit. (Faciam hoc libro, mox edendo, cui titulus erit: Platonische Studien.)

Caveas ne rerum ὕλην commutes cum idearum dyade. Quae apud Platonem rerum ὕλη dicitur, contraria excipit, dum ipsa per se omnium contrariorum expers exsistit; idearum con-

tre, quae dicitur ὕλη, nihil aliud est, quam contrarium ipsum, tamquam principium positum. Rerum ὕλην idem, ac spatium accepisse Platonem, Aristoteles, alteram alteri opponens, nobis tradit. (Phys. IV, 2.) Firmatur hoc ipsius Platonis scriptis. (Cf. Tim. 50, 51.) Quare Aristoteli facta est materies mera δύναμις, non per se ac sibi existens, sed contrariis: πάντα γὰρ τὰ ἐναντία ὕλην ἔχει. (Met. 257. Br.) Et rerum, et idearum materies promiscue τὸ ἄπειρον vocatur, rerum autem materies nonnunquam δύο τὰ ἄπειρα. Ex his Aristotelicus locus Phys. IV, 2, lucem petit, alia ratione plane non intelligendus. Vides enim, quamobrem Platon idearum ὕλην alia et diversa ratione τὸ μεταληπτικὸν vocaverit, quam rerum ὕλην: idearum ὕλη suscipit τὸ ἕν, rerum ὕλη simul τὸ ἓν καὶ τὸ μέγα καὶ μικρόν.

Edocti summa ab Aristotele Platonem duplicem essendi ordinem statuisse, τὸν τῶν αἰσθητῶν ἀεὶ ῥεόντων et τῶν ἀϊδίων καὶ ἀκινήτων, praecepisse illum τὸ ἓν εἶναι τὸ ὄν, dari autem alterum principium, idearum diversitatis fontem.

Aristoteles in Met. 33. Br. haec verba scripsit:

> Ὅτε δοκεῖ ῥᾴδιον εἶναι, τὸ δεῖξαι ὅτι ἓν ἅπαντα, οὐ γίγνεται· τῇ γὰρ ἐνδέσει οὐ γίγνεται πάντα ἓν ἀλλ' αὐτό τι ἕν, ἂν δοθῇ τις πάντα· καὶ οὐδὲ τοῦτο, εἰ μὴ γένος δώσει τὸ καθόλου εἶναι.

Aristoteli principiorum Platonicorum, ἑνάδες non omnia fieri unum contendenti, Eleaticorum ἓν πᾶν, quod πολυειδίαν excludit, obversatur. Platoni, ut videbimus, unum illud tali ratione omnia est, ut in unaquaque idea id sit, propter quod et una haec esse, et omnino esse dicatur: ἂν διδῷ τις πάντα. . . . — Multae sunt ideae, unum Esse. Ideae omnino non essent, nisi unius essentiae participes factae essent: participatione sublata, mera contraria exstarent, in utramque partem infinita. At ipsa una essentia (τὸ ἓν - τὸ ὄν) contraria poscit, quibus ad essentiam sive unitatem redactis, esse dicitur. Unius et dyadis principia revera separari nequeunt: separata sunt a Platone docendi causa.

Videamus nunc, quomodo ipse Platon in dialogis haec systematis principia exposuerit. Nec in Sophista, nec in Parmenide, quae ex negativis resultent, expressis verbis exhibentur. Artifex, ut ita dicam, in Parmenide invisibilis est, atque artificio suo quasi tectus; pictoris illius instar, qui pone tabulam pictam, opus suum, collocatus, praetereuntium de eo judicium clam audire voluit. Perarduum enim est, ipsius Platonis sententiam ex omnium, ut videri potest, contra omnia certamine, quasi palmam victricem reportare. Et tamen his dialogis, quibus lectorum sagacitati nimis cultum reliquit, ita ut adhuc inter viros doctos disceptetur, utrum omnino in Parmenide aliquid lateat, nec ne, systematis Platonici veram effigiem inesse, jam

putavere Veteres. Neque, si quid video, injuriā. Nam quod Parmenidi Timaeum praetulerit recentius aevum, indicio tantum potest esse, Plotinum despectosque illos Neo-Platonicos Platonicae speculationis genium rectius percepisse, quam recentiores. (Platonem cum male intellectum hubuerint, Aristotelem male intellexisse Platonem affirmavere. Inde tot absurde dicta, qualia Tennemanni in libro, quo philosophiae historiam enarrat tom II. p. 25. et 26. qualia Richteri, professoris Lipsiensis, libro de Platonis ideis nuperrime edito, in quo τὸ μέγα καὶ μικρόν, sive τὴν δυάδα Aristotelem excogitasse dicit. Pessime Aristoteles! Absentes deos, ut ajunt, testes fecisti at non — absentes magistros.)

Dum ea animo teneo, quae ab Aristotele de Platonicae philosophiae principiis tradita nobis sunt, quaeque prioribus paginis breviter repetii, quae ex Sophista, atque Parmenide resultare mihi videantur dogmata, paucis indicabo.

In Sophista ostendere conatur contra Eleaticos, τὸ Esse, quod essendi multiformitatem excludere, et Eleatico sensu unum esse dicitur, reale quid non esse; non magis autem illud Esse, quod in partium quadam totalitate positum esse habeatur. (Ideae enim non cogitari debent tamquam partes essentiae, partes οὐσίας, sed ut verae οὐσίαι.) Distinguit deinde duos essendi ordines. Idealem primum, statu, et motu haud affectum; (ideas ακινήτους esse

Aristotelcs saepissime notat) sensibus objectum alterum, in quem στάσις et κίνησις cadit. Priorem ordinem ad duo principia revocandum esse docet, ad τὸ ὄντως ὄν, et ταὐτὸν καὶ θάτερον. (Qui opinantur, principium ejusdem, et diversi non esse ad ideas „semper sibi constantes" referendas, errant. Idea quidem semper eadem est, quoniam aeterno rerum ordini adscripta est. Simul autem idearum unaquaeque nullo pacto commutanda est cum alia, quia per se esse, et certa quadam essendi forma uti dicitur. Diversa est a ceteris. Cujus diversitatis causam cum ex monadis principio repetere non posset, ex illo dyadis repetiit.)

Ceterum num Sophistae locus notissimus pag. 246, ad Euclidem Megarensem, quemadmodum Schleiermacherus opinatur, referendus sit, vehementer dubito. Illic enim cum de incorporeis quibusdam, ac mente tantum comprehendendis rerum speciebus, sive ideis, sermo sit, quas, qui sententiam illorum ταὐτὸν σῶμα καὶ οὐσίαν esse statuentium, improbent, corpusculorum loco invenisse dicuntur, male cum hac πολυειδίας doctrina conspirare arbitror Euclidis, atque Megaricorum sententias, Eleaticorum illis prorsus adaptatas. Quantum enim de Euclidis disciplina scimus, ab iisdem ratiociniis proficiscebatur, quibus Parmenides essendi multiformitatem impugnaverat. In eo ipso totus Eleaticus esse mihi videtur, quo Socraticus potest videri. Realę enim praedicatum essentiae illi ani substituit, sicut Parmenides. Hic enim τὸ

Esse idem esse, ac τὸ νοεῖν, (Parm. fragm. v. 45.) Euclides idem, ac τὸ ἀγαθον esse dixit. Scimus autem, Euclidem inter sciendi et agendi principia nullum discrimen statuisse. Quodsi igitur Euclidem non spectat ille Platonis locus, ad quem alium referendus erit, quam ad — ipsum Platonem. Persuasum mihi habeo, Platonem se ipsum hoc loco perstrinxisse, at non Platonem senem, sed juvenem, sive juniorem. Confirmatur mihi hoc iis, quae antea de duplici ratione, qua ad alterum essendi ordinem alter a Platone relatus sit, disputavi. Consequens enim si Platon sibi mansisset, inter id, quod vere sit atque id, quod non vere sit, cum haud distinxisse arbitror. Fortis et juvenilis animi erat dicere: sunt aut non sunt; timidioris senis addere: aliquomodo sunt, et aliquomodo non sunt. Comiter et lacta quadam ironia senex Platon suam ipsius sententiam, juvenili audacia dictam, exprobrat, quam, quoniam vir talis eam palam professus erat, historica quadam vi, ac dignitate uti necesse erat. Γιγαντομαχίαν vocat pugnam inter materialismi, et idealismi defensores; atque cum iis, qui coelestia negarent, Gigantum partes dandae essent, leniter deridere videtur juventutis superbiam, quae, terrestria contemnens, atque despiciens, cum divis ipse deus in excelso Olympo se habitare somniet.

In Parmenide (nequaquam, ut mihi quidem videtur, opus juvenile) consequentia explicat, quae, licet totam disputationem in nihil dissolvere videantur, praesagientibus, sicut in Sophi-

Univ. Bibl. München

sta, Theaeteto, Cratylo, verum invenire siuunt. Dialectices summa haec mihi videntur esse:

I. Quodsi τὸ Esse unum dicitur, et non multa, (Eleaticum dogma) difficultates enascuntur, quae et uni ipsi, et multis, quo minus cogitari possint, impedimento sunt.

II. Quodsi multa unius partes esse dicuntur, unum ex partium totalitate conflatum, manent difficultates.

III. Quodsi multa dicuntur esse, et non unum, nec unum, nec multa cogitari possunt. Ergo:

IV. Quodsi nec unum sine multis, nec multa sine uno, nec unum tamquam partium totalitas cogitari possunt: unum ad multa ita referendum erit, ut tamquam totum in singulaquaque unitate, essendi respectu non singula, inesse dicatur.

Ad. II. et IV.

Si quis rem ita velit explicare, quasi non de partibus vere integrantibus, quarum singula quaeque ad essendi totalitatem necessario pertineret, sermonem instituisset Platon, vereor, ut Platonicorum principiorum vim ac connexum recte perspexerit, vereor, ne quasi in omnium naufragio mortuum jam ex undis ad ripam traxerit. *Μέθεξις* non ad partem essentiae — essentia enim una est, et nullo pacto divisionem admittit — sed ad totam essentiam pertinet. Nec τὸ ἓν τοῦ ὄντος, nec τὸ ὂν τοῦ ἑνὸς μόριον accipi debet (cf. Parmenides 142 sqq.). Essentia, qua essentia est, non diversa a se est,

unum non ab uno: ideae, quatenus esse dicuntur, unum sunt. Essentiae respectu diversitas non existit τἀυτὸν καὶ θάτερον inania sonant. Hoc est Platoni mysterium illud unius, quod totum est in uno, et omnibus, per quod una quaeque idea divinum quid est, quo nihil divinius, οὐσία, qua nulla plus minusve οὐσία vocari potest.

Summis philosophiae Platonicae principiis breviter ex Aristotelis Platonisque libris indicatis, ad rationem, qua ideae in mundo intelligibili esse dici debeant, explicandam procedo.

Ideae dipinguntur οὐσίαι καθ' ἑαυτάς. Eo, quod ideae καθ' ἑαυτὰς esse dicuntur, talis essendi ratio exhibetur, ut notioni huic contradicas, si vel ad tempus, atque spatium eas referre, vel substantiae qualicunque eas inesse, velis contendere. (Die Ideen ſind in ſich, und nicht an und in etwas Anderem.)

Eo, quod ideae καθ' ἑαυτὰς esse exhibentur, per se singulae exstant. (Τὸ δὲ εἶδος αὐτὸ ἓν ἕκαστον μόνον Met. 20 Br.)

Propter eandem rationem χωριστὰι depinguntur (Sympos. 211. B.). Idem per idem! — Qua ratione ideas ab una parte a rerum ordine prorsus secernere, ab altera eas tamquam rerum αἴτια, et quarum participatione res factae essent, describere potuerit, Aristoteli, ut supra jam dixi, non liquet. Memor sis, velim, hujus disputationis pag. 9. sup. Nexu causali prior

est opponendi, atque juxtaponendi ratio, ad quam ideas, *παρὰ τὰ αἰσθητὰ* existentes, primitivo sensu pertinere video.

Tennemannus ad Aristotelis illud *τὸ μηδέ που εἶναι ἰδέας* sicut in arcem confugit, qua munitus, ab omnium argumentorum impetu tutus esset. Hoc enim argumentum, a nullibi sumtum, tam unici momenti esse existimat, ut vel contradixisse sibi in eo Aristotelem, idearum realitatis defensorem, contendat.

Primum monenda esse censeo, quae jam Herbartius hisce verbis monuit: „Hier wenigstens hätte Aristoteles hinzufügen müssen, zwar nirgends im Raum, aber — im göttlichen Verstande; wie dieses Platon selbst (qui pluries „ideas nullibi esse expressis verbis docet) an unzähligen Stellen beifügen müßte, wenn ihm etwas der Art in den Sinn gekommen wäre."

Quaerentem deinde, ubi tandem ideae, nisi in deo, ita alloquor: molestum est, daemones elicere carminibus; at qui semel decantare voluisti coelestes idearum imagines, dic etiam — ubi tandem deus — quem ideis cogitationibus ati dicis? Quonam spatio ille, quem vis, deus enetur? Nullo, respondebis. Optime! At qui ideas, spatio liberatas cogitare non potes, num deum, spatio qui liberatus esse dicitur, melius cogitare poteris?

Ex eo igitur, quod ideas non in spatium cadere legimus, haud concludendum nobis erit,

cas esse in deo. Quaerendum potius cum Aristotele.

ἂν δέ τις θῇ τὰς οὐσίας χωριστάς, πῶς θήσει τὰ στοιχεῖα καὶ τὰς ἀρχὰς αὐτῶν.

Quaestio haec uberiorem atque subtiliorem de dyadis natura expositionem requirit, ultra fines, quos dissertatiunculae huic dare volui, progredientem. Pauca tamen de his antecipere juvat.

Rerum materies, quam ipse Aristoteles statuit, quamque semper eandem manere dixit, a contrariis, semper fluentibus, haud separatur. Contraria contra, quae a Platone ideali ordini adscribuntur a rerum ὕλῃ, quae ea excipit, distinguuntur. Corpora in Platonis Timaeo conflantur ex unitatis et dyadis cum ὕλῃ connubio: ipsa enim ὕλη incorporea cogitanda est.

Rerum ordinis respectu Platon non minus ac Aristoteles docere poterat: πάντα τὰ ἐναντία ὕλην ἔχει. At idearum ordinis respectu contraria ut ad Esse perveniant terrestri basi non indigent: sunt, divini unius participatione. Ipsa spatii contraria ad rerum ὕλην, per se spectatam, nullo pacto referenda erant; ex his idealem ordinem constructum voluisse Platonem et res ipsa postulat, et testimonia, e numerorum Platonicorum doctrina repetenda, (cf. Brandisii et Trendelenburgii sagacissima atque doctissima scripta) testantur.

Quae de idearum exsistentia, qualis per vocem *καθ' ἑαυτὰς* exhiberi mihi visa est, modo supra disputavi, argumentis historicis, ex dialogo, qui Parmenides inscribitur, petitis, probare nunc mihi in animo est.

Socrates rerum quasdam species per se exsistere sibi persuasit *ἐγωγὶς μὲν εἴδη αὐτὰ, χωρὶς δὲ τὰ τούτων ἄν μετέχοντα* 130 B.). Dein, argumento quodam Parmenidis pressus, cui, cum ea, quae consequentia sint illi de ideis sumtioni, nondum satis sibi explanaverit, sil opponere potest (130. B.)

Parmenidem ita alloquitur:

Ἀλλά, φάναι, ὦ Παρμενίδη, μὴ τῶν ἰδεῶν ἕκαστον τούτων ᾖ νόημα καὶ ἐνδαμοῦ αὐτῷ προσήκῃ ἐγγίγνεσθαι ἄλλοθι ἢ ἐν ψυχαῖς.

Respondet Parmenides, quomodo fieri posse, ut unaquaeque idearum sit cogitationum, nullius vero rei cogitatio. Non fieri posse, Socrates respondet. Rogatus deinde ejusnc, quae sit, an quae non sit, ejus quae sit, affirmat.

At quocunque se vertat formarum per se exsistentium amicus, haesitat atque difficultatibus implicatur. Tales rerum per se exsistentes species scientiam nostram jam ob eam ipsam causam prorsus fugere contendit Parmenides, quod per se esse dicantur. In animis enim eas vere exsistere nullo pacto ad illarum naturam conve-

nire, nunc ambo consentiunt. Nam, inquit Socrates:

„quomodo ipsa per se foret idea, si esset in nobis."

(Cf. Tim. p. 51, B. Ceterum unicus Parmenidis p. 78. locus satis luculenter indicat, qualis in hac re Platonis sententia fuerit. „Mentuendum certe nihil erat ἄτοπον, si „luti εἶδος non nisi luti cogitationem „generalem significaret. Significat autem illud ὄν, quod cognitionis luti „verum objectum sit, necesse est." Ita Herbartius in comment. de Pl. syst. fund., pag. 35.)

Parmenidis oratio perquam memorabilis est. Quanam ratione, inquit, intelligi possunt ideae semotae et avocatae a rerum ordine, cui nos adscripti sumus? Intelligentiam nostram fugiunt!

Primum vides causam, cur ἀνάμνησιν statuerit Platon. Ἀνάμνησις mythicam, ut jam ab aliis dictum est, rationem redolet, et quidem talem, quae necessario Platoni adhibenda erat. Peccant omnino, qui mythicas illas rationes a strenua doctrina prorsus secernere volunt. Intimum mythorum atque dogmatum apud Platonem connexum haud probe perspexere.

Imaginatio et ratio invivem a se pendent. Praesertim Platoni mythica loquendi ratio tam propria ac nativa est, ut totam idearum doctri-

nam mythologiam quandam nominare possis. Quam coguata omnino sit Platonica philosophia Graecorum veterum mythologiae, brevi comparatione instituta, elucebit. — Aristoteles in Met. 254. Br., modo antea de veteribus theologis disputans, de sententiis eorum hoc judicium fert:

> ὧν ἔι τις χωρίσας αὐτὸ λάβοι μόνον, ὅτι θεούς φασιν τὰς πρώτας οὐσίας εἶναι (cf. Met. 53.) θείως ἂν εἰρῆσθαι νομίσειε,

et in Met. 46.

> οὔτε γὰρ ἐκεῖνοι (theologi) σύνδεσμον ἄλλο ἐπάγουν ἢ ἀνθρώπους ἀϊδίους, οὗθ' ὅντοι (Platon ejusque discipuli) τὰ εἴδη ἀλλ' ἢ ἀισθητὰ ἄϊδια.

Ipsa haec Graecorum mythologia argumento esse potest, quam difficile interdum sit viris, et quidem ingeniosis, certis quibusdam psychologicis antiquitatis datis animo menteque se accomodare. Sunt enim, qui ingenue fateantur, se nequaquam intelligere posse, qua ratione Graecis veteribus religiosa fides, sive theologia, cum mythologia ita conspiraverit, ut vero religionis sensu diversas inter se divinae naturae species amplecti potuerint. — Tamen una eademque plastica, quam dicimus, vis est, quae in veteri illa pulcherrima Graecia in uno et omnibus valebat; eadem vis, in religione, philosophia, poesi, artibusque omnibus conspicua.

Graecorum dii — divini *ἔνδδες* — ab hominum natura terrestribusque omnibus prosus distant, qua dii habentur — immortalitate, aeterna potentia, pulchritudine immaculata. (*Τὰ μὴ γευσάμενα τῶν νέκταρος καὶ ἀμβροσίας θνητὰ γενέσθαι φασί* Met. 53. Br.) Divina natura una eademque est in omnibus, divini unius respectu unam essentiam constituunt. Quemadmodum autem ideae unum sunt essentiae respectu, diversae, quatenus ad *ταὐτοῦ καὶ θατέρου* principium referantur, ita divini *ἔνδδες* diversi existunt, quatenus ad mentis humanae, sive rerum naturae diversa phaenomena, quorum *οὐσίαι*, et *ἄλτια*, et quasi *παραδείγματα* aeterna habentur, referuntur. Graeci enim, quibus *πολυειδίας* sensus innatus erat, ad cujuscunque dei altare sacra instituebant, toto pectore indivisam divini naturam amplectebantur, nihilominus sentientes, se ad Apollinis, ad Cereris, ad Dianae aras consistere. Tam ingenui tantum populi erat, deos, quos colebant, Olympicos tanta imaginationis vi, ac pulchritudine individuos reddere, eosque ab una parte ad vitae terrestris singularitatem ita detrahere, ut eorum consortio ubivis uti sibi viderentur; ab altera, divini unius repectu, quod carceribus haud inclusum esse sentiebant, eos ab impia familiaritate prorsus amotos tueri. Quam belle, quam ingeniose Graecorum poetae inter divinam personam ac divinum *πᾶν* ludere sapiunt! Licet dii visibilibus rebus praesse dicerentur, non participes erat visibilium fluxus solique habebantur, qui, vere existentes, nul-

lum ortum atque interitum recíperent. Quemadmodum in idearum doctrina modo de *ἰδέαις* modo de *ἰδέᾳ* — eodem sensu — sermo est, ita religionis systematis unitas mythica ratione per Jovem indicatur, principium unitatis ipsum, per se positum, divinum, quod non tale et tale esse dicitur, sed merum per se, mera gloria, mera majestas. *Οὐδὲ δέ ὁ θεῶν Ζεὺς.* (Crit. 121. B.) nullo singulari munere fungitur. — Ceterum etiam in religiosa Graecorum mythologia, non minus, ac in Platonis philosophica, quae prorsus opposita antea erant, aeterna - caduca, medio quodam interposito, quodammodo inter se rursus nectuntur. Nec dii, nec ideae originem ex rerum natura, sensibus exposita, ducunt: heroes sunt — Platonis *τὰ μεταξύ.*

Graecorum Olympum in auxilium vocavi: dii fortasse, *ἰδέαι καθ' ἑαυτάς*, idearum naturam, qualem sentiam, collustrabunt. Dixerim, Graecos omnes credidisse, quae Platon *δι' ἀποδείξεως*, philosophica ratione, explanaverit. Tamen a similitudine hac, licet haudquaquam fortuita mihi videatur, argumentum ducere non volui. Constat, Platonis ideas dei notiones sive cogitata nominare, hoc perinde esse, ac si quis velit deos Olympios Jovis cogitationes esse contendere.

Necessario quodam imaginandi actu Platon ideas, nullibi existentes, in Phaedri dialogo in coelo collocat. (Vater unser, der du bist im Himmel!)

Ideas fingere, quales a Platone fictas esse video, si primum fontem ac originem spectas, non minus rationis, quam imaginationis esse puto. Ratio aeterna desiderat, vicissitudini non objecta; ratio rerum species per se existentes, aeternas, atque immutabiles excogitat. Simul autem imaginatio cogitationi ita succurrit, ut quasi nec imaginatio sciat, ipsane cogitet, nec ratio, ipsane imaginetur. (Die Poeſie iſt der Held der Philoſophie, die Philoſophie die Theorie der Poeſie. Id Novalis dictum de Platone certe valet.) Per se esse ideas cum oporteret statuere, rationis erat, illas a conditionibus, quae non per se esse illas sinerent, liberare. Imaginationis rursus erat, ideas in coelum quasi reducere, cum Platonica-mens (= Graeca, est enim graeci ingenii quasi idea ac divinum exemplar) cogitationum, quasi fulgurationum, puncto centrali indigens, rationis ac phantasiae commercium effugere non posset. Ideas, ortas ex hoc connubio, dein dialectica via nimis sublimes factas, intelligentiam fugere minantes, denuo phantasiae ministerio excussas, vivas solidasque mentis oculis obtulit.

Vitemus, ait Spinoza, (de intellectus emendatione tractatus, in ej. operib. vol. II. p. 436. ed. Paulus) praeterea magnam causam confusionis, et quae facit quo minus intellectus ad se reflectat: nempe cum non distinguimus inter imaginationem, et intellectionem, putamus, ea quae facilius imaginamur, nobis esse clariora, et id, quod imaginamur, putamus intelligere.

Ceterum in omnibus Platonicis dialogis non facile dabitur locus, ex quo dilucidius perspici possit, quonam sensu dei mentio in strenua idearum doctrina facienda sit, quam ille Parmenidis, ex quo profecti sumus.

Parmenides, ut dixi, ex eo, quod ideae per se, ac neque in animis, nec in rerum natura existere dicantur, sequi affirmat, nos nihil de ideis sive de intelligibili rerum ordine scire atque intelligere posse. Addit, propter eandem causam etiam intelligibilia nihil de mundo, sensibus exposito, scire posse. Hic enim disputationis sensus est. Hanc sententiam Parmenides ita delineat, ut, cum primum neget, posse ullas intelligibiles rerum formas a nobis cognosci, etiam scientiae perfectissimae illud supremum genus, deum, eorum, quae apud nos exstent, nullam scientiam habere affirmet. — Socrate ex confessis hoc sequi innuente, sequentia addit Parmenides:

Οὐκοῦν, εἰ παρὰ τῷ θεῷ ἔστιν ἡ ἀκριβεστάτη δεσποτεία καὶ ἔστιν ἡ ἀκριβεστάτη ἐπιστήμη, αὐτῶν ἡ δεσποτεία ἡ ἐκείνων ἡμῶν ποτὲ ἂν δεσπόσειεν, οὐτ' ἂν ἡ ἐπιστήμη ἡμῶς γνοίη οὐδέ τι ἄλλο τῶν παρ' ἡμῖν, ἀλλ' ὁμοίως ἡμεῖς τ' ἐκείνων οὐκ ἄρχομεν τῇ παρ' ἡμῖν ἀρχῇ, οὐδὲ γιγνώσκομεν τῶν θείων οὐδὲν τῇ ἡμετέρᾳ ἐπιστήμῃ, ἐκεῖνοί τε αὖ κατὰ τὸν αὐτὸν λόγον οὔτε δεσπόται ἡμῶν ἐσμὲν οὔτε γιγνώσκουσι

τὰ ἀνθρώπινα πράγματα — θεοὶ ὄντες.

Fatebitur quisque, his verbis τὸν θεόν, τὸ θεῖον, et τοὺς θεοὺς una eademque ratione ad ideas sive mundum intelligibilem referri.

Platon in Timaeo aeterna entia numini intuenti, atque cogitanti opponit. Quod si quis inde concludere velit, Platonem essendi et intelligendi principia omnino sejuncta voluisse, errat.

Timaei deus prorsus mythicus est — deus, ut ita dicam, ex machina — idem θεὸς ὁ θεῶν Ζεύς, qui in Critiae fine

κατὰ μέσον παντὸς τοῦ κόσμου,

immortalium familia circumdatus,

κάντα καθορᾷ.

Timaeus carmen est mythico — physicum, in cujus initio deos deasque, poetarum more, invocat, in quo exarando probabilibus jam in rationibus acquiescit, quodque cum vilis, atque deprevati mundi apotheosi concludit. — Rerum sensus ferientium ordinem, antea illi despectum, neglectum, senili aetate ex idearum systematis rationibus construere voluit. (Er ſuchte Rechnungsproben. Ita Herb.) Ideae autem, superbo quasi otio fruentes, et ἀκινησίας μᾶλλον ἕνεκα, (Arist. Met. 23. B.) rerum constructioni prorsus inutiles erant. Demiurgo, persona, agendi quodam principio indigebat. Hic autem de-

miurgus ad internum systematis Platonici nexum minime spectat:

τί γάρ ἐστι τὸ ἐργαζόμενον πρὸς τὰς ἰδέας ἀποβλέπον;

quibus verbis Aristoteles Met. 30. B. Timaei demiurgum tamquam mythicum perstringit. Ipsam numerorum doctrinam ad hanc alteram ideas ad res referendi rationem pertinere video. Numeri agendi principia Platoni. Unde Aristoteles Met. 258. Br.

εἰ δ' ἔσται τὰ εἴδη ἀριθμοί, οὐδενὸς ἄιτια· εἰ δὲ μή, οὔτε κινήσεως γε. (Ita corrigendus Brandisianae editionis locus, cf. locum huic simillimum Met. 30. B.)

Τὸ ἀγαθον et *τὴν ἐπιστήμην* Platon ad unum idemque essendi principium retulit, a quo omnia contraria remota esse voluit. Quemadmodum Parmenides uni illi essentiae, formarum varietatem excludenti, ita Platon essentiis, sive divinis rerum formis *τὸ νοεῖν, τὸ εἰδέναι* tribuit. — Monadibus Leibnitzius! —

Quaerere igitur, ideaene sint subjectivae, an objectivae, *ἄτοπον* est: sunt, et quidem intelligentes!

Infelix notionum vox tam magica vi uti videtur, ut ipse Richterus, cui deus Platonicus non est persona, secundum quem ideae, menti divinae obversantes, cogitandae sunt tamquam ad communem divinae naturae

materiem relatae, contra Herbartium, Plessingium, Neo Platonicos, Scholasticos, Mysticos extendere conetur, ideas esse meras notiones, menti divinae (non personae!!) insitas.

Certe in deum Platonicum non cadit, personam esse: at, quid vox persona sonet, nescire videtur, qui deum Platonicum, quem tamquam mentem, ideis notionibus cogitantem, ideas summa sapientia in mundo exprimentem fingit, personam esse negat.

Doceamus, ait Erasmus, vera, ne dum falsa defendamus, vera simul amittamus.

Finem huic meae quantulacunque disputationi imponam, si non Aristotelis verbis (Analyt. post. p. 224.)

τὰ εἴδη χαιρέτω, τερετίσματα γάρ ἐστι,

tamen Pauli:

videmus nunc per speculum
in aenigmate.